

DE EXCEPTIONIBUS SIVE PRAESCRITIONIBUS.

8.36.1

Imp. Antoninus A. Claudio.

Debitores quidem hereditarii unicuique heredum pro portione hereditaria antiqua lege obligati sunt, sed si eis heredibus omnem pecuniam exsolvisti, quibus nomen patris tui testator in divisione adscripsérat, doli mali exceptione adversus alios agentes tueri te potes.

PP. XV k. Aug. duobus Aspis cons.

[a. 212]

8.36.2

Idem A. Iulio.

Pro portione tua, qua domum ad te pertinere dicis, si iudicatum non est, actiones dirigere potes, nam exceptio rei iudicatae ei demum obstat vel successoribus eius, inter quos cognitum super ea re et pronuntiatum est.

PP. XV k. Mari. Antonino A. IIII et Balbino cons.

[a. 213]

8.36.3

Idem A. Vitali.

Adversus fratrem tuum quondam tutorem legitimū tutelae iudicio si expertus non es, proposita actione consiste, nec timueris exceptionem pacti, si in eo fraudem columque admissum probare potes: nam replicatio doli opposita bonae fidei iudicium facit et commentum fraudis repellit.

8.36.4

Imp. Alexander A. Iunio et aliis.

Cum nondum finitam sententia causam, sed dilatam adlegetis, non est dubium omnes integras defensiones vobis esse.

PP. II non. Oct. Maximo II et Aeliano cons.

[a. 223]

8.36.5

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Basilio.

Licet unde vi interdictum intra annum locum habet, tamen exceptione perpetua ei succurri, qui per vim expulsus post retinuit possessionem, auctoritate iuris manifestatur.

S. k. Mai. Trallis AA. cons.

[a. 293]